



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Metropolis Salisbvirgensis

Continens Primordia Christianæ Religionis Per Boiariam Et Loca quædam vicina; Catalogum videlicet & ordinariam successionem Archiepiscoporum Salisburgensium, & Coëpiscoporum, Frisingensium, Ratisponensium, Patauiensium, ac Brixinensium

Hund, Wiguleus

Monachii, 1620

Alberti Hvngeri, Apvd Ingolstadienses Professoris Theologi, & Procancellarij Censura.

urn:nbn:de:hbz:466:1-13553

ALBERTI HVNGERI, APVD
INGOLSTADIENSES PROFESSORIS
Theologi, & Procancellarij Censura.

SILLI QVOQVE, CANDIDE LECTOR, QUI
vel merè profana, vel profusè externa, vel etiam iam pridem amissa,
nec unquam recuperanda describunt probari tamen laudariq; à
nobis solent propter industriam & benè merendi studium; equidem
iustissimum est, ut haud paulò magis amemus, colamus, & cōmen-
lemus eos, qui non profana sed Ecclesiastica, non externa sed nostra,
non amissa miserè sed conservata feliciter, & ad omnem adeò poste-
ritatem nostram perquam religiosè transmittenda fideliter, breui-
ter, atque perspicue nobis ob oculos proponunt. Quantò enim hac, quàm illa, magis ad dig-
nitatem & utilitatem nostram pertinent, tantò etiam procùl dubio scriptores hi. quàm illi,
propius, prolixius, & praeclearius de nobis promerentur. Quippe quàm indignum sit, quàm
illiberale, quàm periculosum, ista ignorari praesertim ab iis, qui ad Patriæ gubernacula sedènt,
& vel ex officij etiam sui ratione commune bonù procurare debèt, cum prudens quilibet faci-
le possit ex istis, tum velet hnicus ille Cicero clarissimè perspexit, verissimèq; in Oratore
suo ad Brutum hisce verbis expressit: [Nescire quæ anteq; nasceremur, in repub. nostrage-
sta sunt, quid est aliud, quàm semper esse pueros?] Quòd si illud etiam rectè à Iureconsulto
dictum est: [Turpe est patritio viro ius eius civitatis, in qua versatur, ignovare.] profectò
rectius multò nos dixerimus, turpissimum, imò & perniciosissimum esse praesertim hodie, ho-
mini Christiano, quæ fuerit Christianissimi forma tempore maiorum suorum, ignorare: quæ
Patriæ suæ, quæ sibi, quæ posteris charissimæ & antiquissima debent, eorum neq; primordia
tenere, neq; progressum, eorum neq; adiumenta novisse, neq; incrementa, Religionis, in quâ
veræ sine qua frustrâ speratur salus vera, & Episcopatum, Monasteriorum, Academia-
rum, quæ religioni verè propagandæ & conservandæ semper à sapientissimis ac optimis qui-
busq; Ecclesiæ columinibus opportunissima præsidia meritò fuere iudicata. Talibus igitur
de rebus cum verè nobilis vir, WIGVLEVS HVNDIVS, trium ex ordine sibi succedentium
vtriusq; Boiaria Principum prudentissimus, fidelissimus, meritissimusq; consiliarius memo-
riam annorum plusquam octingentorum Baioarijs quidem suis in primis, tum verò & alijs
omnibus antiquitatis & veritatis studiosis magna fide singulari studio, summa diligentia
hunc unum in librum collegerit, nã ille laudes gratiasq;, praesertim apud Boiarios suos, mere-
tur multò maximas; nã ille vel hoc quoq; nomine dignissimus est, cuius nomen cum eorum
nominibus, qui in hoc opere illustres sunt, ab omni piorum posteritate celebretur in terris, ab
omni piorum antiquitate diligatur in cælis, ab ipso deniq; Christo Domino ex Albo Curia
terrene transcribatur inter amplissimos senatores Curia cælestis. Utinam verò, utinam,
quæ vir hic non solum diuturno rerum plurimarum maximarumq; usu præstantissimus,
verum & historiarum omnium praesertim patriæ suæ scientissimus suis hic potissimùm Ba-
ioarijs breuiter sed fideliter perscripsit, ea etiam nationes alia praesertim ea, quas novum Lu-
theri vel Caluini Euangelium miserè seduxit, diligenter legant, libenter relegant, novissi-
maq; maturè provideant. Quæ enim, obsecro, utilitas, quæ sapientia, quæ gloria, anti-
quare ac spernere eam, quæ hic commemoratur, veram Ecclesiasticarum, in Baioaria, ali-
isq; Germania imò totius orbis Christiani partibus cum Baioaria communem per tot secula
religionem secutis tam benè firmatam & tam sanctam antiquitatem? contra verò profa-
nam Lutheri vel Caluini novellitatem, ut antiquissimi Tertulliani verbis utar, tot præ-
scriptionibus ab ipso Verbo DEI iam olim prædamnatam tam cupide amplecti, tam perti-
naciter tenere? Quæ ista, quæso, modestia, quæ securitas, sub prætextu Verbi DEI for-
tissi-

visimos sapientissimos sanctissimosq; illos Imperatores ac Principes, Pipinum, Carolum ma-
gnum, Ludouicum Pium, Hainricum sanctum, Conrados, Ottones, Albertos, aliosq; pluri-
mos qui hoc in opere benignissimi amplissimorum Episcopatum & Monasteriorum funda-
tores ac benefactores memorantur, tanquam grauisimorum errorum & detestande idolo-
maniâs Patronos despiciere atq; deserere? Contrâ verò Lutheri vel Caluini doctrinam ad-
uersu hosce omnes procaciter obijcere, vnicè suspicere, mordicè asserere! Quanta deniq;
superbia, quàm graui olim luenda supplicio, sub pretextu Verbi DEI tot sanctissimos Confes-
sores & martyres, quorum hoc ipsum quoq; opus passim commemorat, S. Bonifacium, S. Ru-
pertum, S. Corbinianum, S. Vitalem, S. Virgilium, S. Maximilianum, S. Piligrinum, S. E-
meranum, S. Erhardum, S. Wolfgangum, S. Gotthardum, S. Leonardum, S. Althonem, S.
Adalbertum aliosq; penè innumerabiles Episcopatum & Monasteriorum illorum Recto-
res vigilantissimos tanquam Antichristi administratos ac præcursores aspernari & reijcere!
Contrâ verò Lutherum & Caluinum quasi solos verè sapientes in amore & honore habere!
Quasi verò, ut cum D. August. lib. 2. contra Iulian. Pelagian. loquar, longa dies ita summa
permiscuerit imis, ut Lutherus & Caluinus, tanquam non homines sed Di, videant ac in-
telligant soli, caci autem sint, quos hæcenus retuli, omnes, quantumuis Christo tota mente,
omniq; studio & contentione tam corporis, tum animi deseruerint, ne quid esset propter quod
spiritus sapientiæ & intellectus eos auersaretur. Oclingentis annis, hoc est, iam inde à pri-
mordio suæ conuersionis ad Christum, Bauaria plenum Papatum tenuit, diutius etiam aliæ
quædam Germaniæ partes fuitq; hac ratione ipsi Bauaria, cæterisq; illis Germaniæ partibus,
vnius veræ & perfectæ fidei communitio cum aliis omnibus Christiani orbis nationibus. Per
hoc tempus in Bauaria & reliqua Germaniâ fuisse sanctos viros, fuisse sanctas faminas, fuisse
facta miracula & hac quidem per eam fidem, quam habet Papatum, per eandem doctrinam,
per eadem sacramenta tam certum est, ut id nec aduersarij si maximè velint, negare possint.
Quæ igitur obsecro ista est tam oculata temeritas, eam religionem in qua confitendū est ista
fuisse omnia nolle videre! tantam de scriptura sensu conseruatiōe omnium populorum & gen-
tium floccipendere! tantam auctoritatem miraculis inchoatam, spe nutritam, charitate
auclam, vetustate firmatam respuere! tam longam Episcoporum, maximè Romanorum,
iam inde à D. Petro Apostolorum Principe usq; ad presentem Gregorium XIII. contra tot
tyrannos & hæreses à D. E. O. conseruatam successiōem nihili facere! nude autem veritatis
pollicitationi, quæ sola apud nouatores personat, pertinacissimè adhaerescere! Crepabant &
olim Euangelium hæretici illi Manichæi contra quos proximè præcedenti scribit, vrgetq;
S. Augustinus in libro aduersus Epistolam fundamenti Manichæorum. At contra
hanc iactantiam pulcherrimè idem eruditissimus & sanctissimus Pater ibidem subiungit:
Cum horum nihil apud Manichæos sit, quod me inuitet, & teneat, quomodo de Euan-
gelio non potius Catholicis, quorum religio tot illis tantisq; nexibus animum meum adstrin-
git credidero quàm Manichæis, præter veritatis Euangelicæ pollicitationem nihil istorum
habentibus? Sic igitur & hodie cum istorum nihil sit vel apud Lutheranos vel apud Calui-
nianos, sint autem omnia apud Catholicos (quos isti Pontificios seu Papias appellant, &
perinde ac olim Arriani Catholicos verè quidem, sed per contemptum, homouianos nunc-
cupabant) cur, quæso, de Euangelio & verâ fide Catholicis non potius quam vel Luthera-
nis vel Caluiniânis fidem haberemus? Catholicorum, n. certè fundata sunt Ecclesiæ per to-
tum mundum, Catholicorum est consensus ille omnium populorum & gentium; Catholico-
rum est illa auctoritas miraculis, antiquitate, successiōe quoq; tam longatim Romanorum
Pontificum, tum Archiepiscoporum & Episcoporum aliorum tam solidè constabilita; Ca-
tholicorum est deniq; sanctum & caeleste illud perpetua Virginitatis institutum, nusquam
nisi apud Catholicos feliciter impleri solitum, quod iam olim quoq; magnus Athanasius tan-
quam veræ Ecclesiæ contritiōis quoddam aduersus Arrianos in Apologetico pro fuga sua
haud immeritò adduxit. Nec enim etiam per summam calumniam, negari potest, vel
in hisce Monasterijs, quæ in hoc vno opere describuntur, iam olim fuisse, ac etiamnum esse,
præ-

præsertim facta nonnullorum eiusmodi Monasteriorum reformatione, plurimos virginalis
 castimonie perquam studiosos, verèq; observantes. Contrà verò Lutherani & Calviniani
 sunt, qui Monasteria non ut Catholici iuxta Verbum DEI reformant & restaurant, sic
 ubi disciplina lapsa videtur, sed ut Arriani subprætextu Verbi DEI deformant & destru-
 unt: qui perpetua Virginitatis vota, ut rem absurdam derident; qui Monachis sua eripi-
 unt, quæ ipsi Monachi meliore iure, ut pote ex liberalissimis piorum donationibus profecta,
 tenuère, quàm sua ipsi etiam Principes seculares, uti verissimè solitus est dicere ille nun-
 quam satis laudatus Saxonie Princeps GEORGIVS: qui deniq; legitima Episcoporum
 successione, qui miraculorum & vetustatis auctoritate, qui Christianorum populorum de
 Scriptura sensu consensione manifesto destruantur, adeoq; ut cum Optato illo Mileuitano
 lib. 2. contra Parmenianum loquar, planè sequentes sunt sine antecedente; nisi fortè ante-
 cedentes eorum velis Hussium, Wicleffum, Aërium, Vigilantium, Ioninianum, aliosq; si-
 miles damnatissimos hæresiarchas dicere, quorum tamen etiam nulli præcipua omnia vel
 Lutheri vel Caluini dogmata placuère. Legant ergò hoc præsens HUNDII nostris opus Ba-
 uari, legant & alij, & cum tam præclaras Christianismi in Boiaria origines, tantamq;
 religionis eius, quam etiamnum piè utiliterq; sequuntur Bauari, antiquitatem, sanctita-
 tem, auctoritatem in eo viderint, cum animaduertent, tot & tantos Principes, Episco-
 pos, Abbates &c quos ne ipsi quidem nouatores negare possunt DEO gratissimos acceptis-
 simosq; fuisse, eam prorsus tenuisse fidem, quam adhuc quoq; hodie tenet Bavaria; hanc po-
 tissimum fidem amplectantur, illudq; sibi certissimò persuasum habeant, si fenestram nouis
 hæresibus, imò & ipsi Machometismo, vel etiam paganismò præcludere volunt, Calvinis-
 mum procul pellendum prorsusq; exterminandum esse: si verò Calvinismum exterminatū
 volunt, Lutheranismum prius omninò abijciendum, & ad vnam sanctam Romanam Ec-
 clesiam redeundum esse. Si enim hanc Ecclesiam tot illis prerogatiuis, tamq; illustribus no-
 is, quas supra retulimus, elucentem & eminentem, non Scriptura nuda verba urgentem,
 ut aduersarij faciunt, sed testes insuper expositionis suæ præstantissimos & probatissimos
 quosq; Christianitatis Doctores, qui vnquam vel vsquam vixerunt, proferentem, impudè
 aspernari Lutherani licuit, cur obsecro non multò magis etiam Calvinianis liceat Luthera-
 nismum nudius tertius demum ab excucullato & incesto Luthero exortum, nec dum Ger-
 mania fines egressum, sed nec per omnem Germaniam progressum, imò propter tot sectas,
 in quas est dissectus, in ipsis originis suæ faucibus iam penè suffocatum, contemnere, con-
 uellere, eaq; nudare auctoritate, quam ipse prius omnibus modis superiori abrogare con-
 tus est religioni Catholice seu Pontificie? Sed ne iusto longior sit hæc operis huius ap-
 probatio, quod sese per seipsum cuius æquo lectori satis approbabit, finem fa-
 cio, obtestorq; lectorem per DEVM & salutem suam, ut qua in
 hac qualicunq; admonitione & in hoc opere legerit,
 sibi esse salutaria patiat.

CATA-

Faint, illegible text, likely bleed-through from the reverse side of the page.

CATA